

CLARISSIMI VIRI D. ANDREÆ ROSETI, BVDISINI,
artium liberalium, & Iuris vtriusq; Doctoris celeberrimi,
ad candidum lectorem Parænesis.

Non te fugit, Candide Lector, Disciplinas omnes diuina hominum peruestigatione paruis, & modicis ab initijs ad vnius naturæ similitudinem excogitatas à magnis viris, & ad vsum aptatas in eum, quem hodie non sine singulari admiratione videmus statum craxisse. Eandem naturam simplicem, & vniuersam, menti q; nostræ conceptibus ita esse accommodatam, ut totum illud nostrum discere nihil aliud sit, quàm inchoatas iam ante, & diuinitus impressas intelligentias, vt iactis fundamentis futurum opus erigitur: ita illas easdem quodammodo absoluerit. Neq; illam ipsam naturam sic effectam redditam, qualisq; atatum spatij consumptam, quin eadem licet alijs temporibus agrorum in morem interquiescere videatur, diuersis elargiri velit, heroicis ingenijs ad hæc diuino quodam afflatu excitatis, qui suis laboribus & vigilijs adiumento sint ipsi, qui in officijs præstantioribus versantur, quo perfectius & verius vnumquodq; iudicare possunt, quod origini & naturæ suæ propinquius sit, & similius. Cum vane conuulato imperio, & districto iusticia exularet inter homines, ac iuris dicendi æquabilis ratio ex præcedentium temporum commutationibus contentionum studio in foro extincta esset: dedit nobis summus ille, & præpotens orbis author, Deus, architectus, & moderator, pro sua clementia & bonitate erga genus humanum, clarissimum illud, iuris Asylum, legalisq; scientiæ thesaurum Papinianum, qui cum multis de iure ciuili scriptis ad æquitatem naturalem quam proximè accommodatis totam disciplinæ magnitudinem complexus sit: ita de tota legum professione bene meruit, ut ex ipsius officina tot excellenter enutriti, ac integritatis, bonitatis, & æquitatis commendatione cumulati prodijse dicebantur Consulti, quot ex Equo Palladio Græci. Cum medendi ars, quam Hippocrates antea breuiter, & succinctè à philosophia nominatim seperata pertractauerat, diuturnitate temporum esset confusa, & discrepantibus profertentium sententijs perturbata, suscitauit eodem fere tempore maximum ingeniorum ornamentum Galenum, qui principem artis Hippocratem proferens, salutarem vitæ hominum medicinæ doctrinam, sermonis vberitate distinctius, fidelius, & absolutius quàm superiorum quisq; persecutus est. Surrexit & singulari fato quodam his paulo antiquior magnus ille Ptolomæus, ingenij & doctrinæ magnitudine insignis astrorum, & nature indagator, qui omnia quæ mundi circumflexus continet, diligentius perscrutatus, Mathematicas disciplinas, quibus Deus Aegyptum iam inde à Iacob Patriarchæ filij temporibus ornauerat, Astronomiam, & Geographiam plenè, & subtiliter suis scriptis excoluit, locupletauit, stabilis, & erexit, cum planè iacerent, & iniquitate temporum essent miserabiliter oppressæ. Nec falluntur omnino illi, qui in studijs doctrinæ acutiora, & subtiliora operosius, quàm par est inquirentes, longius à naturæ præscripto, & rerum necessitate recedere pronunciant. Itaq; eximia olim celsis laudi Ptolomæo, qui hanc ipsam naturam Ducem, eiusq; vnius principia secutus, cœlestem illam scientiam, qua cœli totius conuersionem, syderum ortus, & obitus, ac denitios ad signiferi orbis rationem, stellarum motus sapientes viri comprehenderunt, studio suo & diligentia illustrauit: sicut & Papiniano magno atq; Galeno, quorum hic Medicinæ, ille iuris ciuili academia mirabiliter, & cum admiratione iuuat, & auxit. In hunc vnum scopum in suo doctrinæ genere quisq; intentus, ut in excellentis naturæ consideratione omnes suas cogitationes, mentem, & vim ingenij ad illius, quæ est vniuersi similitudinem, conuersionem & collationem, quàm proximè exprimendam conferret, & studio se extenderet, quo de rebus certius, verius & simplicius sentiri ac profuntari posset. At D. Cyprianum nostrum Leontium de Leonicia, rarissimo quodam, & insigni ætheris confluxu, nostro seculo Mathematicum eadem, & fortasse etiam maior manet gloria, quod non solum hoc imitatus magnorum virorum exemplum: Sed manus quippiam & præclaris suscipiens, operam dedit singularem, ut cum tot magni, & eximij ingenij Astronomos hodie nostra ætas in Germania protulerit, quorum monumenta illustria non sine maxima laude extant: tamen animi sui ad Mathematicas disciplinas pro viribus ingenue iuuandis testificandi desiderio adductus, nullâ sibi noui operis nuntiationem factam esse existimari, nullam seruitutem altius non tollendi impositam, quæ id iure impedire posset, sed fiducia suæ doctrinæ, ac inexhaustæ diligentia inchoatum hoc, quod cernis, Ephemeridum ædificium, vsibus humanis in omni vitæ genere, quàm aptissimè accommodatum expeditius, fructuosius ac copiosius, quàm antea à quoq; factitatum explicatum, laudabili opera, immensis vigilijs, inter medios bellorum tumultus, Archimedis Syracusani exemplo, dilucidè, ornate, & scienter altius sustulerit, ut cognosci liceat, laboris & studij magnitudo, qua varium & multiplex huius Diarij opus comportauit, illudq; in vniuersum quod in Ephemeridum doctrina totum est, quodue in vsu humanæ vitæ cognoscendum proponi potest, quodue ad rem melius depræhendendam aptari, repetiuit, exculsit atq; recondita doctrina in eam formam, ut vides amplam, qualem ante ipsum nemo quidem in tot annos computatam redegit, adeo ut cum ex syderum concursu & constellatione mirus etiam sit in præsentendis prædicendisq; conuersionibus, incrementis & inclinationibus artifex, de quibus & priuatim, & publicè insignia adidit exempla: nescias vtrum opus hoc Ephemeridum plus authori, in quo ipsa natura, in hac vniuersa rerum astronomicarum illustratione omnes propè vires suas exerere voluisse videatur: quàm author operi per se magno & illustri debeat. Et quamq; non defuerunt qui illud præclarum, ingeniosum & elaboratè extractum ædificium, vel inuidia, vel innata quadam *παρουσία* priuatum, & sibi proprium efficere tacitis & obliquis conditionibus conati sunt, quod melior rerum humanarum prouisor Deus publicum esse, & multorum vsibus expositum voluit: tamen D. Cyprianus noster in terras publico commodo diuinitus demissus, iudicium suum, & mentis elucubratas meditationes non in seipso: aut in paucis aliquot, sed in communitate totius ordinis literatorum, Astronomicis studijs se oblectantium: nec in vnius ætate, quod est admiratione dignissimum, sed in multarum consensu positum esse hac publica aditione sibi honorificum duxit. Nam cum animorum liberi, ut est apud Platonem parentibus suis chariores sint, quàm corporum: authorq; ipse, ut liberi benè nati, atq; formati sint: longeq; nobiliores, ac verius parentis sui effigiem referant: sua educatione, emendatione atq; præsentis correctione apud Typographum effecerit: cui melius obsecro honestius &